



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.  
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in  
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;  
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

**Poncius, Joannes**

**Lugduni, 1659**

2. De somno, & vigilia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

## CONCLUSIO III.

12. *Anima separata potest se, & alia corpora mouere localiter.* Hæc est *Doctrina* in 4. dist. 10. q. 6.

*Probat*ur primo, ex descensu animæ Christi ad inferos, & ex apparitionibus multarum animarum in diuersis locis.

*Dicitur*, motus locales illarum animarum esse miraculosos à Deo, non autem ab animabus virtute propria. *Contra*, non est neganda illa virtus animabus absque ratione, nulla autem est ratio ob quam negetur ipsis.

*Probat*ur secundo, quia Angelis competit illa virtus mouendi se & alia; ergo & animabus à paritate rationis, quia quantum ad hoc nulla est differentia inter illa.

*Confirmatur*, quia si negaretur hæc virtus animabus, vel ratione perfectionis, vel ratione imperfectionis. Non ratione perfectionis, quia conuenit Angelis perfectioribus; neque ratione imperfectionis, quia conuenit corporibus imperfectioribus.

*Confirmatur secundo*, quia licet anima habeat aliquas intellectiones dependentes à corpore, habet tamen in statu separationis alias intellectiones independentes à corpore, quas non potest exercere in corpore; ergo similiter non est inconueniens quod habeat virtutem motiuam dependentem à corpore, & virtutem etiam motiuam independentem à corpore in statu separationis, qualem virtutem nequit exercere in corpore. Et per hoc ac exemplum de Angelis difficultates omnes, quæ opponi possunt, facile solui possunt.

13. *Si tamen quæras*, an mouere possit corpus per impulsu sibi, sicut vnum corpus mouet aliud:

*Respondetur* eodem modo posse animam mouere, quo Angelus mouet; vtrumque autem dico posse mouere per impulsu; quia alias non possent prolicere corpora, sed deberent necessario comitari illa corpora quæ mouerent.

*Deinde* non est difficilius Angelo aut animæ producere ipsum motum localem, aut vbi corporeum quam impulsu corporeum; ergo si possunt vbi aut motum, possunt etiam impulsu. Sed possunt producere vbi aut motum in corporibus, vt fateatur Suarez, & patet, quia alias non possent mouere corpora: ergo possunt producere impulsu. Et hæc de anima sufficiant ad laudem & honorem Dei, &c.

## DISPUT. X.

## De Paruis Naturalibus.

**P**HILOSOPHVS octo libellulos de affectionibus quibusdam ad animantia spectantibus scripsit, quos communiter *Parua naturalia* appellant, & vel complementum sunt præcedentis tractatus, vel certe vnum cum illo integrum tractatum conficiunt, corpus animatum pro obiecto adæquato habentem. Quæ ergo in his octo libris digniora consideratione sunt, in hac disputatione examinabuntur, cuiuslibet libro vnica quæstione assignata.

## QVÆSTIO I.

## De Memoria &amp; Reminiscencia.

**M**EMORIA in actu primo est potentia illa, qua recordari possumus rerum antea cognitarum. Hoc est, quia possumus cognoscere, quod aliquando cognouerimus res, quas ante cognouimus. Memoria vero in actu secundo, est ipsamet recordatio, seu cognitio, qua sic cognoscimus. Reminiscencia vero est, recordatio huiusmodi habita median- te inquisitione, & progressu ex alijs recordationibus, aut cognitionibus: vt si quis recorderetur beneficii recepti ab vno homine, ex eo quod recorderetur ipsiusmet hominis, aut quod videat alium hominem similem illi.

Dari memoriam *sensitiuam* in animantibus, & simul cum ipsa *intellectiuam* in homine, illamque non distinguere realiter à sensu communi, nec hanc ab intellectu, suppono ex dictis in libris de anima, quæ non videbantur repetenda.

*Hic autem aduertendum*, memoriam, vt memoriam in actu primo, non solum habere recordari, & reminisci; sed etiam ad eam spectare proponere cum facilitate species accepta, etiam illas, quibus intelligimus res ante cognititas, sed non vt cognititas; nam dicitur committere memoriam illas species, quando sæpius obiecta nobis proponimus ad hoc; vt facilius postea possimus illa obiecta nobis proponere; & qui orationem, aut discursum aliquem audire, aut lectum facile reperiunt, & proponunt sibi, quamuis non cognoscerent actu quod antea illum cognouerint; dicuntur bonæ memoriam.

2. *Quæritur* solet, an omnibus animantibus conueniat memoria.

*Respondetur* in primis non esse necessarium ex ratione animalis vt sic, aut animæ sensitiuæ vt sic, quod quodlibet animal habeat memoriam, quia optime potest concipi aliquid esse animal, & habens animam sensitiuam, quin intelligatur habere memoriam; neque potest ex eo, quod aliquid sit animal, aut habens animam talem recte concludi, quod habeat memoriam.

*Deinde* non est aliquid ex parte animalis, aut animæ sensitiuæ vt sic, cui repugnat vis memoratiua; vnde solum à posteriori colligi potest ex actibus aliquibus, an omnibus animalibus conueniat, necne, & si in omnibus, quibus: Difficile autem est habere experientiam illam de omnibus, apparet autem satis manifestè in aliquibus, vt in auiibus, canibus, similibusque, quæ habent virtutem locomotiuiam, & accedunt ad locum vbi bene tractantur, recedunt vbi male; in conchis vero, quæ non habent virtutem locomotiuiam, qua ab vno loco in alium progredi valeant, licet in eodem loco contrahant partem læsam, non adeo patet experientia memoriæ, vnde *Conimbricenses* hic negant eam illis, quibus tamen eam attribuit *Auerſa* q. 5. i. sect. 4. quia patet verisimile esse quod recorderentur doloris, & quod propterea tacta retrahunt se etiam antequam lædantur. Quod si huiusmodi animalibus ea facultas data sit, non est sine dubio neganda piscibus, quidquid dicat *Albertus*, nam & locomouentur, & repetere solent eadem loca, & ita expresse tenet *D. August.* 3. de *Genesi* ad litteram. Ad memoriam bonam conducit & aliqua mollitudo ex parte organi, qua facile possit recipere species, & aliqua durities qua eas melius conseruet: hoc tamen intelligendum de memoria sensitiua, nam intellectiua vt pote spiritalis, duritiei & molitiei incapax est. Alia auxilia extrinseca, vt exercitatio & ars, quæ dicitur memoriæ, & medicamenta quædam & impedimenta varia ipsius, experientia tam nota sunt, vt de iis hic non sit discredendum.

## QVÆSTIO II.

## De Somno, &amp; Vigilia.

3. *Conimbricenses* hic *Vigiliam* describunt esse omnium externorum sensuum, aut saltem aliquorum solutionem, seu libertatem; *Somnum* vero esse omnium sensuum externorum ligationem ad animantium quietem & salutem institutam.

*Contra* quam descriptionem primo opponi posset, quod non magis ad somnum videatur exigi quod sit ligatio omnium sensuum, quam ad vigiliam, quod sit omnium solutio. Sed hac difficultas est tantum de nomine, nam si nomen *vigilia* non esset impositum ad significandum solutionem aliquarum potentiarum externarum, certe diceret sine dubio solutionem omnium: & si *somnus* imponeretur ad significandum ligationem aliquorum sensuum, & non solummodo omnium, non requireretur ad ipsum ligatio omnium.

Verum cum de facto non detur status aliquis medius

D d d

honi

Vtū om-  
ne animal  
habeat  
memoria.

Conche  
habeant  
ne me-  
moria.

An pisces  
habeant  
memoria.

Quid me-  
moriam.

Quid re-  
miniscen-  
tia.

Quid si  
nisi, & vi-  
gilia.

## De ANIMA. De Paruis Naturalibus,

hominis, in quo non possit de ipso dici, quod sit vel vigil, vel dormiens, & quandoquidem non dicatur dormiens simpliciter ex communi usu, si vel una potentia externa ipsius sit libera, & expedita ad suas operationes necesse est fateamur quod nomen *somnum* & *dormitio* sit impositum ad significandam ligationem omnium potentiarum externarum: & praeterea quandoquidem si una potentia externa esset sic libera & expedita, non possit dici de ipso quod dormiret, posset vero dici quod vigilaret, sequitur quod vigilia significet de facto expeditionem vel omnium, vel aliquorum.

4. *Minor difficultas* est in illa particula, quam adiungunt in descriptione somni: nempe quod somnus sit ligatio sensuum ad quietem & salutem animantium instituta. Nam in primis illa particula videtur superflua, cum per reliquas particulas sufficienter erat descripta. *Nec refert* quod dicunt *Conimbricenses* cum sensus vi alicuius morbi torpescunt (vt accidit epilepsia) hominem non dormire; nam si ita obtorpescunt vt viuant & nullam habeant operationem sensitivam, omnino dormire dicendus est homo.

*Confirmatur*, quia in tali casu non vigilaret, vt manifestum est, quandoquidem non haberet vllum sensum externum solum & liberum: ergo dormiret, quandoquidem vt ante dixi, non detur vllus status hominis viuentis, in quo non possit dici de ipso quod dormiat, vel sit vigil.

*Deinde*, quemadmodum in descriptione vigiliae non ponitur quod sit instituta ad vtilitatem aut detrimentum animalis, non debebat etiam poni in definitione somni, à paritate rationis.

*Praeterea* quamuis somnus non esset institutus ad quietem & salutem, sed potius ad nocumentum, profecto non minus definiretur esse somnus: ergo illa particula non solum superfluit, sed falsa est quantum ad hoc quod asserere videatur esse de ratione somni vt sic quod sit sic institutus.

5. Quod si etiam placeret excludere dispositionem illam, quam habent epileptici & similes, in qua non operantur per sensus externos vlllos, à ratione somni, non sufficienter distingueretur à somno per hoc quod illa non esset ordinata ad quietem & salutem: nam si esset sic ordinata, adhuc haberet rationem qua distingueretur à somno, distingueretur enim sufficienter à somno per hoc, quod somnus esset ligatio sensuum orta absque vlla indispositione physica organorum, altera autem illa ligatio non esset talis, vt patet.

Vnde melius describeretur somnus esse ligamen omnium sensuum externorum ortum ex alio capite, quam ex indispositione physica organorum externorum, quam dicendo quod esset ligamen institutum ad salutem & quietem. Nec contra hanc descriptionem aliquid maioris difficultatis obici posset quam quod sequeretur hominem posse esse in statu aliquo, in quo viueret & tamen nec dormiret, nec vigilaret. Sed dicendum esset defendentibus hanc descriptionem, id non esse inconueniens, quando esset in statu, in quo ex indispositione organi non posset operari; vnde quando dicitur quod homo alterum ex duobus debeat habere, aut somnum, aut vigiliam, hoc deberet intelligi de homine non habente organa sic male affecta. Quod totum tamen spectat ad quaestionem de nomine, & absolute dicendum quod sufficienter & bene describatur somnus esse ligamen omnium potentiarum externarum, non addendo vllam aliam particulam, sicut nec additur in descriptione vigiliae.

Quomodo sit somnus.

6. *Nunc ostendendum*, quomodo fiat haec solutio & ligamen potentiarum. Et communiter quidem dicitur quod potentiae sint solutae & liberae ad operandum, quando non impeditur accessus spirituum animalium à cerebro ad organum sensuum externorum; tum autem ligantur, quando ille accessus praepeditur, neque enim ipsum organum cum specie obiecti sufficit ad percipiendum obiectum; sed ulterius requiritur concursus spiritus animalis, siue in genere causae efficientis, siue in genere causae formalis dispositivae, vt patet in dormientibus oculis apertis,

qui non vident quamuis habeant in eodem oculo species impressas colorum obiectorum; vnde si impediatur accessus istius spiritus, qui est substantia aliqua tenuis ac subtilis, non poterit potentia operari, & si non impediatur poterit: quare ligamen ipsius consistit in illo impedimento, & solutio consistit in ablatione ipsius.

Causa autem effectiua somni, hoc est, illa causa quae ponit impedimentum, secundum *Conimbricenses* cum *Philosopho* hic, est causa aliqua, quae producit vapores quoddam qui replent meatus illos, per quos spiritus animales deferri solent ad sensus externos, qui vapores potissimum generantur secundum ipsos in ventriculo ex cibo: cuius indicium est, quod, qui comedunt & bibunt, aptiores sunt ad dormiendum, quam qui famem patiuntur. Alij tamen antiqui, vt *Auerroës*, *Galenus*, & *Ancenna* citati à *Conimbricensibus* existimant causam effectiuam impedimenti esse ipsammet animam, quae habet virtutem attractiuam spirituum animalium à sensibus externis. Ego vero existimo vtrumque concurrere, & vapores ascendentes, & attractionem etiam spirituum, aliquando simul, aliquando separatim: quamuis enim non ascenderent vapores, nihil impedit, quo minus attraherentur spiritus; & quamuis non attraherentur spiritus nihil impedit, quo minus ascenderent vapores ac impedirent descensum spirituum: quod si possit attractio fieri sine ascensu vaporum, & contra, nihil impedit quo minus vtrumque simul fiat.

*Ex quo patet*, quid sit impedimentum formaliter, est enim vel retractio spirituum, vel ascensus vaporum, vel vtrumque simul. Quod si placeret magis quasi metaphysice describere ligamen potentiae, posset dici constare in negatione coniunctionis spiritus animalis cum potentiis: & solutio potest dici consequenter esse coniunctio spiritus animalis cum potentiis: & hoc modo explicando vigiliam & somnum, apparet somnum esse priuationem vigiliae. Si vero quis veller dicere quod ligamen potentiae esset illud corpus positum, quod expellit spiritus illos à potentia, & impedit ipsorum descensum, tum vigilia esset negatio istius corporis, & consequenter esset potius priuatio somni, quam è contra somnus priuatio vigiliae: de quo tamen nulla potest esse realis difficultas.

*Vtilitates somni* temperati, & detrimenta intemperati quotidiana experientia comperta sunt. Et certe, vt somnus moderatus secundum *Terrull.* cap. 4. de anima, est creator corporum, redintegrator virium, probator valedudinum, pacator operum, medicus laborum, ita immoderatus laxat membra, teste *Hypocrate*, grauat caput, stupidos, obliuiosos, ad vitia procliuos, ad subeundos labores ineptos facit. Vnde etiam constat emolumentum vigiliae temperatae, & intemperatae nocumentum; quantum enim obest somnus intemperatus, tantum prodest vigilia temperata opposita ipsi, & quantum prodest somnus temperatus, tantum obest intemperata vigilia, vt patet.

*Quaerens primo*, an somnus competat omnibus animalibus. *Respondeo* affirmative, non solum ob auctoritatem *Philosophi* hic cap. 2. & *Doctorem* communiter; sed quia emolumenta orta ex mutua vicissitudine quietis & vigiliae id exigere videntur; nec vlla patet experientia oppositum.

*Quaerens secundo*, an homines prius incipiant dormire, an vigilare.

*Respondent Conimbricenses* hic, quod prius vigilant; quia quamuis prius sint in vtero materno, quam percipere possint aliquid per sensus externos, tamen tum non dormiunt, quia quod non sentiant oritur ex hebetudine aliqua sensuum, ac imperfectione organi; somnus autem secundum ipsos non est ligamen sensuum ortum ex tali indispositione.

*Sed quantum* ad hanc rationem nihil concluditur primo, quia, vt supra diximus, somnus potest dici esse quoddamque ligamen potentiarum, ex quo oritur vt aliquis non sit vigil. *Secundo*, quia quamuis non diceretur somnus quodcumque ligamen, sed illud quod non oriretur ex imper

Somnus competit omnibus animalibus.

An prius dormiant homines quam vigilant.

imperfectione potentia; tamen adhuc non probant *Combricenses*, quod infantes habeant prius talem indispositionem ex parte potentiarum, ut non possint sentire quantum est ex se, quam possint sentire. Itaque existimo, quod homines quando habent illam dispositionem, ut habeat sensus externos formatos, prius vigilent quam dormiant, quia nihil prorsus impedit quo minus tum possint sentire, si applicaretur ipsis obiectum sensibile; antequam autem habeant sensus sic formatos, nec dormiunt, nec vigiliant, quia non habent ligamen, nec solutionem sensuum externorum, quandoquidem non habeant ipsos sensus formatos: vigilia autem & somnus sunt affectiones potentiarum formarum.

9. *Quæres tertio*, an dormient homines in statu innocentie.

Aliqui apud *D. Thom.* 2. diff. 19. quæst. 1. negant, quia quandoquidem somnus sit institutus ad quietem, & in illo felici statu non fatigarentur homines, non esset ipsis necessaria quies somni. Sed hæc ratio non satis probat intentum; nam quod non fatigarentur homines tum, non oriretur ex eo, quod non possent fatigari, sed ex eo, quod non laborarent ad fatigationem; sed tum quiescerent quando fatigatio incipere deberet: ergo similiter licet non fatigarentur potentia; externæ, non id oriretur necessario ex eo, quod non possent fatigari, sed ex eo, quod quando fatigari deberent, dormirent homines: quod si somnus non sit ordinatus tantum ad quietem sensuum externorum, sed etiam ad quietem totius corporis, etiam tum esse posset utilis, ut per eum quiesceret corpus hominis, quod alias fatigari potuisset.

*Ipsæmet D. Thomas* probabilius putat futurum somnum in Paradiso, quem tamen non causaret lassitudo aliqua, aut morbus, aut concreti vaporis collatio (ut *Combricenses* adiungunt) caput aggrauans, sed moderata purioris halitus copia, seu pura & suavis alimenti vaporatio; qui etiam dicunt, quod non dormirent homines tum, nisi ad solam oblectationem, ac voluptatem.

10. *Verum*, ut ab hoc ultimo incipiam, nisi per somnum impediretur lassitudo, aut refarcirentur vires, aut arcerentur alia incommoda, nescio, quomodo possit ex eo capi vlla voluptas æquivalens illi, quæ haberi posset in vigilia. Itaque existimo somnum tum non futurum vlla ratione ob solam voluptatem; unde si adfuissent aliæ doctes, per quas impediretur lassitudo, & debilitatio, ac aliæ malæ affectiones corporis, potius dicendum esset, quod non esset ibi somnus, & si deberet naturaliter causari ex vaporibus aliquibus naturaliter generandis ex cibo, spectaret ad felicitatem illius status ut impediretur diuinitus illa causatio, sicut multæ aliæ impedirentur. Itaque existimo incertum esse, an tum esset futurus somnus, & quod ad me attinet existimo probabilius esse quod non esset tum futurus, si spectetur perfectio illius status, & tanta ipsi tribui debeat quanta potest absque inconuenientia. Nec refert, quod Deus dicatur immisisse soporē in Adam, & quidem grauem. Nam præterquam quod ille sopor posset dici esse potius extasis aliqua mentis, quam somnus corporalis, ut multi explicant, adhuc non facit ad rem, si intelligeretur de sopore corporali; quia fuit immisus miraculosè à Deo, nos autem loquimur de sopore, seu somno, qui proueniret naturaliter.

11. *Quæres quarto*, quomodo animal cessat à somno. Duobus modis fieri solet ut animal desinat dormire. Primo à seipso; deinde per excitationem à causa extrinseca, ut cum suscitatur à somno per strepitum aliquem, aut tractionē. Vtraque autem suscitatio fit per remotionem, impedimenti descensus spirituum animalium: & prima fit vel per consumptionem vaporum obstruentium meatus, per quos descendere solent illi spiritus, vel per hoc quod potentia attractiua, aut fatigata à nimia attractione, aut iam non indigens ulteriori, permittit spiritus illos descendere, vel per expansionem seu dilatationem eorum meatuum talem, ut non obstantibus spiritibus possint descendere.

*Maior difficultas* est de secunda excitatione, seu expurgatione; sed illa quæ fit per motionem corporis

minus habet difficultatis; nam facile concipi potest quomodo ex illa motione diuertere possint illi vapores, & impediri attractio illa spirituum animalium. Altera autem excitatio, quæ fit per sonum magnum, aut lucem, aut odorem, aut leuem tactum, difficilior est; si enim sensus sunt ligati, quomodo sentiunt illa obiecta? & si non sentiunt, quomodo per illa impeditur eorum ligamen? Sed dicendum tamen quod illa obiecta non perueniant ad sensus absque tali alteratione, quæ efficiat ut tollatur impedimentum, quod impediēbat descensum spirituum animalium.

15. *Quæres quinto*, an verum sit, quod dormientes quandoque ambulent. Non ponitur hic in dubium quod fide digni auctores referunt de plurimis, qui ex lecto, in quo dormiunt, sese erigunt, vestiunt, ac alio se conferunt, cum tamen, & aliis adhuc appareant dormire, & ipsimet postea non recordentur vllius, quam faciunt, actionis, nisi per modum somnij. Sed hoc supposito quaeritur, an tales censendi sint dormire, & ipsimet positione quod somnus sit ligamen omnium sensuum externorum, eos non dormire, quia ad minus in iis sensus tactus est solutus, nec enim alias posset se vestire, aut aperire portas, aut corripere arma, aut alia, quæ ab ipsis leguntur fieri. Dicuntur tamen dormire in largiori aliqua acceptione, quatenus scilicet maior pars sensuum externorum est ligata.

Dormientes ambulant.

## QVÆSTIO III.

## De Somnijs.

13. *Somnia sunt apparitiones illæ, quæ occurrunt dormientibus mediante aliqua potentia interna.* Ad quam descriptionem *Combricenses* addunt ex *Philosopho* quod illa potentia interna sit sensitiva, ut excludantur apparitiones intellectuales, quæ occurrere possint hominibus: sed hoc spectat ad quæstionem de nomine, & quantum ad communem iam vsum huius vocabuli *somnium*, magis credo id non requiri, sed quamcumque apparitionem internam sic vocari posse. Specificandum vero necessario erat illud dormientibus, aut affectis somno, quia apparitiones internæ per hoc formaliter habent esse somnia, quod adueniant dormientibus; nam similes omnino apparitiones, aut etiam eadem ipsæ, si acciderent vigilantibus, siue compotibus rationis, siue impotibus, non essent somnia. Non vero requiritur, ut somnus ille, quo afficitur somnians, sit perfectus ac rigorosus iuxta descriptionem somni quæstione præcedendi assignatam, nimirum talis, qui sit ligamen omnium potentiarum externarum: nam sufficit, quod sit talis, quali afficiuntur illi, qui dicuntur ambulare dormientes, nimirum qui non sit ligamen omnium sensuum externorum, sed aliquorum: neque enim vllus negabit quin illi ipsi, qui ambulant dum dormiunt, somnient interea temporis, & tamen, ut ante dixi, non habent omnes sensus externos ligatos.

Quid somnium.

14. *Differtur iam est*, quomodo determinetur potentia illa, quæ in somno format in se huiusmodi apparitiones ad eas formandas. Nec dubium est quin determinetur proxime per species rerum, quæ sic apparent; sed valde difficile est ostendere quomodo applicetur tales determinatæ species ad determinandum ipsam ad tales apparitiones potius, quam aliæ ad alias. Et quamuis illa excitatio, seu applicatio, quoties somnium cedit in bonum, attribui solet Angelo bono, & malo, quoties in malum cedit; tamen cum somnia disparata, quæ neque ad bonum, neque ad malum conducunt, refundi commodè vix possint in bonum, aut malum Angelum, ad quos non videtur magis spectare excitare talia somnia, quæ nulla omnino excitare; alia causa assignari debet pro similibus somniis, sed quæcumque sufficere posset pro his absque concursu Angelico, eadem, aut alia similis sufficere posset pro excitatione somniorum bonorum, & malorum, esse enim bona, vel mala, est per accidens ad illa somnia, ut patet.

Quomodo causantur somnia.

Deinde, quandoquidem non magis potens sit Angelus malus ad excitanda somnia mala, quam bonus ad bona,

D d d d 2 mirabile

Quomodo animal cessat dormire.